

aliquot : quarum paulo magis decoram video a nonnullis locutionem existimari . suum cuique omnino judicium ; eamque ob causam difficillimum est , omnibus aequa placere : nam , ut Theognis ait , laudatus a Platone poeta ,

*(a) ἀδεί γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὐδὲν πάντας αὐδένει, εἰτ' αὐτοῖς.*

mihi quidem , cum has epistolas cum iis , quae a Graecis , Latinisve scripta olim sunt , contuli ; valde hae cum illis congruere videntur . Sed pollutas plerique lue quadam etiam nunc aures habemus : nec plane dum e vulgi faece enatavimus atque emersimus : paucos enim adhuc bonos auctores Etrusca habuit lingua , quibus lectitandis nostrorum hominum expoliretur , expurgareturque judicium . Itaque homines ornatae , factaeque orationis insueti , nec pulchritudinem intelligunt , aut cernunt , & splendore ipso praestri laeduntur , praesertim qui in veterum Graecorum ac Latinorum libris usque adeo versati , volutatique non sint , ut illorum virtutes aut transferre ipsi in sua scripta , aut in alienis agnoscere non possint : atque Etrusce quidem a Bembo scripta haec sunt . Latine vero de Aetna ad Angelum Gabrielem scripsit adolescens ; quem video libellum illi postea seni non valde probatum fuisse : de Virgilii Culice , & Terentii fabulis librum unum : de Guidobaldo Feretrio , atque Elisabetha Gonzagia ad Nicolaum Teupolum librum itidem unum , qui valde doctis omnibus probatus est ; a Gabriele quidem Faerno , homine eruditissimo atque hujus generis acerrimo existimatore , in caelum fertur . Sunt etiam Bembi , praeter eas epistolas , quae Leonis nomine ab eo scriptae sunt , suarum quoque privatim epistolarum volumina ; ac seorsum epistola de imitatione ad Joannem Picum libri prope instar , sane perlegenda . sunt praeterea ejus versus Latini multi , dulces , elegantesque ; ut me quidem aequa propemodum , ac veterum illorum poetarum scripta , delectent . scripsit etiam magna cura , magnaque assiduitate (b) civitatis suae historiam , nudiusculam illam quidem : est enim unum Caesarem imitatus ; sed puram in primis atque illustrem .

d 2

P E

tine quaeque italicice scripsit , elenchem sum datus , hic ultra nihil addam .

(a) Scilicet : *Juppiter enim neque pluens omnibus placet , neque pluviam sufficiens .*

(b) *civitatis suae historiam*) Cum in Gallia anno M. D. XXVIII. V. id. majas dececessisset *Andreas Naugierius* , cui Decenivirum decreto rerum Venetarum scribendarum cura , qua *Sabellicus* desierat , demandata erat : novo amplissimi ejusdem collegii decreto idem negotium datum est *Petro Bembo* , qui tunc Patavii totus in studiis suis erat . *Bembus* ipse in historiae suae limine mihi testis est . Per idem tempus & Marcianae bibliothecae custos fuit , quemadmodum ante ipsum *Sabellicus* ac *Naugierius* , quod in *Sabellici* vita satis docuimus . Vir clarissimus *Victor Trincavellus* , Venetus , nobilis philosophus ac medicus , anno M. D. XXXVI. cum *Bembo* Stobaeum , graece editum Venetiis in fol. per Bartholomeum Zanettum , dicaret , non siae maxima ejus laude bibliothecam publicantem memorat ipsius curae commendatam . Quas egerit *Trincavello* gratias *Bembus* , ob inscriptum nomini suo illius auctoris opus , ex ejus literis patet Patavio idib . febr . anno M. D. XXXVI. quae lib . VI. Famil . occurrunt .